Illustris & Clarissime Domine!

Magnum gaudium mihi crearunt humanis-simae Tuae litterae, Viennâ ad me da-tae, testes enim sunt restitutae vale-tudinis Tuae, quam gravius affectam ab aura boreali fuisse, certis iam antea nunciis accepi. Servet eam Tibi Deus integram, Te autem scientiae nostrae vegetum quam diutissime! Doleo, quod Te heic salutandi copi-am non habuerim; spero tamen, quod differtur, non auferri.

Memorasti mihi nuper Viennae agenti, quod desideres videre Nastur-tium proliferum Heuff. Unicum plantae huius exemplar habeo, quod Tibi submissurus sum orans ut illud captô usu iterum mihi remittas.

Alteri Tuo desiderio litteris expresso deferre, proh dolor! non possum. Intelligo plantas, quas postulasti, dalmaticas. Ratio sequens est:

Herbarium meum plurimis adusque constabat collectionibus, quae nunc omnes in unam magnam conflatae sunt, quin tamen ob continuam ferme absentiam meam e loco residentiae debite in ordinem redigi potuerint. Certae igitur ditionis, vel certi herbarii plantas e vastissima collectione deligere, res nunc adhuc ingentis laboris foret, quem ego ipse facere non possem, quum legislativi et pastorales labores me fere semper Colocā procul distare cogunt. Domi autem neminem habeo labori tali perficiendo parem. Nec scio, quando domum revertar. Nam nunc Pestini qua legislationis pars etsi minima, una tamen, ago. Circa decimam Julii cum delegatis aliis 59. Viennam ibo, ut ibi cum delegatione Austriaca tractemus negotia communia germano-slavicarum provinciarum cum regno nostro. Finitis laboribus his thermas petere debeo. Satis tarde quidem, inde redux iterum legislationis curae me occupabunt. Et si etiam Colocam concedere potuero, hoc ad summum pro 10 — 14 diebus faciam, qui domesticis curis dicari debent et dioecesanis.

Unicum igitur medium est voto Tuo satisfaciendi: Indica mihi nominetenus principales, queis indiges, plantas: has, quamprimum potuero, exquiram et Tibi pro usu scientifico mittam.

Interea etiam fausta quaeque Tibi a Domino precatus, meque favoribus Tuis devovens, singulari cum aestimio persisto

Illustris et Clarissime Domine

Pestini, 24/6, 1869.

humillimus Tuus servus
Dr. Ludovicus Haynald
Archiepiscopus Colocensis.

Gypsophila repens var. [illegible]

Edraianthus caricinus
Campanula Malyi
— tyrolensis
Thymus comosus Micromeria croatica
Soldanella pyrolaefolia Allium vebrodense
Androsace villosa Host
— penicillata
Saxifraga Malyi
— coriophylla Gris.
— lasiophylla
Ranunculus carinthiacus
Corydalis tenuis
Arabis blanda croatica
Aubrietia croatica
Cardamine carnosa
— croatica
Draba longirostra
— armata
Silene microloba
— chromodonta vallesia ex Dalm.
— pusilla
Euphorbia triflora cum fr.
Geranium subcaulescans
Ranunculus concinnatus cum fr.
Allium albispathum et al. sp. e Dalm.

Aquilegia sp. ex Dalm.
Lilium sp. ex Dalm.

Sig.r Professore Preg.mo!

Con dispiacere ricevemmo il Suo telegramma con cui ci annunziò la Sua indisposizione che vogliamo sperare sarà leggera e che Le permetterà di venire qui ancora nella presente settimana. Se mai in questo frattempo abbisognasse delle mie prestazioni o di quelle della Giovanna ci comandi senza verun riguardo che ci sarà grato a poterla servire.

Feci consegnare dalla nostra cameriera la lettera alla Signora.

E in attesa del Suo scritto sulla venuta qui, passo a riverirla distintamente con Giovanna e Roberto, e mi dichiaro.

Venezia 22 Giugno 1869

Suo D.mo Sub.e am.
Giuseppe Beban